Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1169
Quelle:
Copyright:

CCCCLXXXII.

U. 288 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 192. f. per duas columnas charactere atro luculento maximam partem ſcriptus, et rubricis diſtinctus continet I. *Petri Lombardi Sententiarum Libros duos Priores*, praemiſſo *Prologo*, et Titulis *Capitum* non tantum I. et II. ſed etiam III. *Libri*, ad quorum calcem etiam *Capita* IV. *Libri in fine preſentis Voluminis* promittuntur, non tamen comparent. Textus multis Notis etiam inter lineas illuſtratus eſt.

II. *fol.* 177. p. 2. *Sermo Auguſtini de Ebrietate vitanda.* Init: *Licet propicio Deo* (Chriſto) *fratres kariſſimi credam vos* &c. Potius *Caeſarii*, et ideo a *Mauranis* repoſitus in *Append.* T. V. *col.* 490.

III. *fol.* 179. p. 2. *Auguſtinus de ebrietate vitanda.* Sequitur *Append. cit. col.* 493. et ipſe *Caeſarii.* Incipit vero: *Frequenter caritatem veſtram fratres kariſſimi paterna pietate ammonui* &c. Utterque integer in Codice.

IV. *fol.* 181. p. 2. *Sequitur de Vtilitate Matrimoniorum.* Non ſic inſcriptus ab autore *Auguſtino* Liber, ſed: *De Bono Conjugali.* Habetur edit. *cit.* T. VI. *col.* 319. et incipit: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars eſt* &c. Nihil deeſt.

V. *fol.* 187. p. 2. *Incipit tractatus Sancti Jeronimi de eſſentia diuinitatis dei, et de inuiſibilitate et eius immenſitate quem feciſſe ſe dicit in libro de viris illuſtribus.* Noli credere Librario; nihil enim dicit *Hieronymus* de Opuſculo vago et pluribus adſcripto, ut jam alibi hoc *Vol.* explicui. Init illud: *Omnipotens deus pater et filius et ſpiritus ſanctus* &c. et habetur etiam *Opp. Hier.* edit. *Vallarſ.* T. XI. *col.* 138. inter Spuria.

VI. *fol.* 189. p. 2. *Incipit tractatus Beati Bernhardi de quatuor gradibus ſpiritualis exercicij ſiue ſcala Clauſtralium.* Initium: *Cum die quodam corporali manuum labore occupatus* &c. Jam dixi *Bernhardo* ſubpoſitum hoc *Vol.* ad Exemplar italice verſum. Extat interim edit. *Maur. Bernh. Vol.* II. T. V. *col.* 311.

CCCCLXXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 289 Folior. 211. f. ſcriptus, ut praecedens, cujus eſt *Pars* altera continens *Sententiarum* L. III. et IV. repetito *Capitum* L. III. Elencho, et ſuo etiam L. IV. praefixo Elencho. Uterque Liber notis ſtipatus eſt, et ad calcem quidem Tertii habetur: *Hec feria 2ª rogationum Anno &c. 32.* ad calcem vero Quarti: *Hec in die ſancte Eliſabeth Anno &c. 32. et ſequenti die lecta.* Utique pro Scholis.

CCCCLXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1135 XIV. Folior. 85. 4. per duas columnas eleganter exaratus, rubricis enotatus, et prius Collegii *Vienn.* S. J. continet *Librum IV. Sententiarum Petri Lombardi*, prius